

DE
LINGVA GERMANICA
RECENTIORVM PHILOSOPHIAM TRACTANDI
STVDIIIS HAUD PARVM CVLTA

DISSERTATIO HISTORICO PHILOSOPHICA

PARS PRIOR

QVAM

PRAESIDE

IOANNE MATTHIA SCHROECKH

HISTOR. PROF. P. O. BIBL. ACADEM. DIRECTORE INSTITVTI

REG. HIST. GOETTING. MEMBR. ORD. SOC. LAT.

MARCH. BAD. SODAL. HONOR.

A. D. ~~XV. MAII~~ ^{XXVI. Iunii} A. R. S. MDCCCLXXXIX

DEFENDIT

A V C T O R

IOANNES GEORGIVS CAROLVS

K L O T Z S C H

AA. LL. M.

WITTEBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

Dub

M

*1723
6a*

DE
LINGVA GERMANICA
REGLIARUM PHILOSOPHIAM TRACTANDI
SINGULIS HANC PARTIM CUM

DISSERTATIO HISTORICO PHILOSOPHICA
P. A. V. G. O. R.

Q. V. A. M.
PRAESIDE

IOHANNI MATTHIA SCHROEDER

PROFESSORIS P. B. O. BIBL. ACADEM. DIRECTORIS INSTITUTI
REG. HES. GOTTING. NUMER. ORD. SOC. LAT.
MARCH. BAD. SODAL. HONOR.
A. D. X. M. M. C. L. X. V. A. K. S. C. H. I. S. C. H. E. L. S. I. C. K. I. E. I.

A. V. G. O. R.

IOHANNES GEORGIVS CAROLVS

K. F. O. T. S. C. H.

A. M. P. M.

WITTEBERGAE

ELIENSIS CAESAR. CHRISTIANE DESKAL.



SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS

SAXONIAE

IN

SENATV ECCLESIASTICO SVPREMO

PER ILLVSTRI

PRAESIDI

ET

CONSILIARIIS

MAGNIFICO SVMME REVERENDO

ILLVSTRIBVS

CONSVLTISSIMIS DOCTISSIMIS

DOMINIS ET PATRONIS SVIS

INDVLGENTISSIMIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS

SAKONIAE

HOC

SVMMAE PIETATIS MONIMENTVM

PERILLVSTRI

CONSECRAT

PRAESEDI

SE OBSEQUESTISSIME COMMENDAT

CONSILIARIS

MAGNifico SVMME REVERENDO

ILLVSTRIBVS

CONSVLTISSIMIS DOCTISSIMIS

DOMINIS ET PATRONIS SVIS

INDVLTIVISSIMIS





DE LINGVA GERMANICA
RECENTIORVM PHILOSOPHIAM TRACTANDI STVDIIS
HAVD PARVM CVLTA.

§. I.

Post tot tantasque criminationes, quibus grauit̄er olim, nec immerito, nonnullae gentes exterae, in his maxime Francogalli, inuecti sunt in linguam nostram vernaculam, fatis diu iam animaduenterunt omnes, qui rerum inter nostrates gestarum non plane sunt expertes, eam vel inde ab aliquo tempore, maxime autem nostrā aetate, sensim ad eam perfectionem accessisse, quae non pateretur de ipsius forma et cultu idem iudicium ferri, in quo olim fere omnes conuenerunt. Aliquando enim plurimorum crebrae audiebantur voces, rudem, asperam et plane inculsam esse linguam Germanorum, sordes verborum, sententias vulgares, imagines rerum ineptas esse, nec illa subtiliter et eleganter aliquid exprimi posse. Quae et aliae multae criminationes plerisque tanto minus fuisse-



rendae^{a)} videbantur, quo saepius siue imperiti, siue iniqui eius rei existimatores ipsi ingenio, doctrinae, moribus Germanorum id tribuerent, quod, si rectius iudicare voluissent, non nisi vitium linguae, parum adhuc cultae et ad elegantiam compositae, dici poterat. Vtique enim concedendum est, bonorum poetarum pariter atque oratorum olim non admodum feraces fuisse plerasque regiones patriae nostrae; in qua re praecipuum quoddam inesse videtur reprehensionis, non immerito factae argumentum. Cum enim aliae gentes, in his maxime Francogalli, haberent iam vtriusque artis exempla valde probabilia, fuerunt inter nostros vix vnus et alter, qui lingua vernacula, idque satis mediocriter, siue fingere aliquid, siue verba facere possent. Nunc vero paullo iniquius, et ex praecipitata opinione, viderentur sententiam suam firmare, si qui adhuc essent,^{b)} qui hac ipsa aetate idem censentes, illustrationi aevi nostri ne tantum quidem tribuere vellent, vt eam in lingua nostra, ad elegantiam rectius conformanda, conspicuam esse dicerent, quod permultis exemplis illustribus virorum celeberrimorum satis luculenter comprobatum esse videtur. Habet enim Germania testes eius rei locupletissimos, poetas pariter atque oratores admodum probandos. Neque adeo exiguus est numerus scriptorum, quorum libros populi exteri non dedignati sunt, legendo, laudando adeoque vertendo vel suis aequiparare, vel antepone- re. Vtique in his etiam sunt multi, quorum oratio nec satis pura, neque perspicua, et, si singulatim velis illam examinare, non tantum deficiat, quantum per ingenium linguae vernaculae fieri potuisset. Virget in primis Vir Illustris *Adelungius*, peritissimus atque subtilissimus eius rei existimator, saepissime vitia, vel apud optimos scriptores patrios obuia. Neque vero etiam haec est sententia nostra, vt dicamus, linguam domesticam nostram ab omni parte tantopere elaboratam esse, atque excultam, vt iam supersedere possint homines docti omni opera, in ingenio ipsius vterius exercendo collocanda. Immo indiget illa adhuc omnium cura et diligentia, quorum interest vel defendere honorem patriae

a) Instar omnium sit *CRAMERVS*, venusti vir ingenii, in *Vindictis nominis Germani*, contra quosdam obirectatores Gallos.

b) E recentissimis linguae germanicae acculatoribus est *FRIDERICVS II.* rex Borussiae nuper demortuus, in libello *de la littérature allemande*, à Berlin 1780. Cui tamen egregie respondit *IERYSALEMVS* in epistola *Sur la littérature allemande*, à Berlin 1781.



triac suae ab opinionibus hominum se extollentium, vel augere illum inter aequos aetatis nostrae censores. Sed mittamus quaestionem de meliori statu rei litteratae germanicae. Etenim de eo certe omnibus persuasum erit, linguam vernaculam nostram hac aetate venisse ad praestantiam quandam, quam antea non habuerit. Quantacunque illa demum sit, non est, vt pro consilio nostro definiamus. In quaestione igitur diuidenda, quinam status litterati, inter Germanos tantopere mutati, potissimum auctores fuerint, quamuis aequo animo, et ab omni partium studio alieno suum cuique libenter tribuere velimus, tamen non possumus non nobis persuadere, esse etiam philosophorum in colenda et elaboranda lingua germanica partes quasdam haud contemnendas. In quo argumento tractando iam ita versabimur, vt explicemus primum paullo vberius nostram de ea re sententiam, ne cui videamur nimium tribuisse philosophorum studiis. Quam sententiam deinde argumentis probare studebimus.

§. II.

Iam omnium primum illud quisque videt, in hac causa non spectari illam linguam germanicam, quae vnicuique vel in superiori, vel in inferiori Germania viuenti, vltu veniat, sed bene distinguendum esse inter varias linguae patriae dialectos, quae fere innumerae sint, atque in omnibus prouinciis ac regionibus per totam Germaniam multum inter se differant, et inter genus scribendi illud, quod occurrat in libris doctorum virorum, et quod exemplum sequantur etiam, certe sequi debeant in consuetudine cum aliis atque exprimere omnes homines liberaliter educati. De illis igitur hoc loco non quaeritur. Pleraque enim vel parum conueniunt vel penitus abhorrent a praeceptis grammaticis eius linguae germanicae, quae continetur libris bene scriptis. Haec enim in tam multis, et variis dialectis, vnice dici meretur lingua germanica, c) et de nouo addisci ab omnibus, qui nolint hominibus de plebe adnumerari. Est igitur ipsius vna tantum forma, et vnus quasi vultus, ita quidem, vt, quae v. c. in Holsatia bene scripta sint, ea quoque in Sueuia exemplum dicitio.

c) de discrimine inter *Sprache* et *Mundarten* plura monnerunt ADELUNG *über den deutschen Sysl* 1. Band S. 41 ff. et RÜDIGER *im neuesten Zuwachs der deutschen Sprachkunde* St. 2. S. 15 ff.



dictionis et seripcionis purae atque elegantis praebent, neque vero ad
 illam admittantur formulae loquendi, quae tantum in vna atque altera
 regione Germaniae vsitatae sint. Quare paullo iniquius est iudicium au-
 ctoris libelli supra laudati *de la litterature allemande p. 7. Ce qu'on écrit
 en Suabe n'est pas intelligible à Hambourg, et le style d'Autriche paroît ob-
 scur en Saxe.* Etenim in eo omnes consentiunt, vnicum esse, inter tam
 varias dialectos, scribendi genus purum. Neque de eo quaeritur, quod-
 nam habeatur illud, aut quanam praecepta ac regulae sint ipsius. Im-
 mo vero omnes viri docti et linguae patriae non admodum ignari facile
 agnoscunt et discernunt dictionem nobiliorem,^{d)} a formulis dicendi so-
 lummodo in quibusdam prouincijs vsitatis. Sed rectius se habere viden-
 tur, quae addidit auctor eiusdem libelli, l. c. *Chaque Cercle se persuade,
 que son Patois est le meilleur.* Etenim, vt taceamus opiniones homi-
 num imperitorum varias,^{e)} qui fere omnes putant, suae tantummodo
 prouinciae dialectum vnice ad munditiam et elegantiam linguae germa-
 nicae accedere; sunt etiam varia hominum doctiorum de ea re iudicia.
 In quibus maxime commemoranda est sententia ill. *Adelungii*, qui saepe
 contendit,^{f)} idque luculenter demonstravit, enatam esse linguam ger-
 manicam nobiliorem e dialecto, quae obtinet in Misnia. Docet, testi-
 monijs veterum afferendis, hanc vel a longo inde tempore caeteris praes-
 titisse,^{g)} et proxime ad scribendi genus, quod inter homines doctos
 diu receptum sit, accessisse. Quam sententiam refutare quidem studuit
Rüdigerus;^{h)} sed in hoc conatu parum profecisse nobis videtur vir cele-
 berrimus. Vrget enim praecipue permulta vitia dictionis, quae vel vni-
 cuique in Misnia viuenti obuia esse possint, linguaeque puriori parum
 conue-

- d) Ita enim explicat *Adelungius das Hochdeutsche*, vt sit, *höhere, weiter
 ausgebildete und verfeinerte Deutsch. v. über d. d. Styl Band I. S. 49.* Ne-
 que igitur debent misceri *Oberdeutsch*, quae est dialectus superioris Germa-
 niae, et *Hochdeutsch*, quae est quasi *sublimior* et *nobilior* lingua, qua scri-
 bendi sunt libri.
- e) Fuerunt v. c. *Gottschedii* temporibus, qui putarent, neminem, extra fines
 Franconiae narum posse germanice vel scribere, vel loqui, vid. *Gottschedii
 Grundl. zur deutschen Sprachkunst* in Praefat.
- f) vid. eisd. *Magazin für die deutsche Sprache* Band 1. St. 1. no. 1 et 5.
 idem St. 2 no. 7. *über den deutschen Styl. B. 1. S. 48 ff.*
- g) l. c. Band 2. St. 1. no. 1.
- h) v. *neuer Zuwachs der deutschen Sprachkunde* St. 2. S. 62 ff. St. 3. S. 9 ff.



conueniant. Quibus exemplis proferendis nobis quidem nihil probasse videtur, nisi id, quod nemo dubitat, esse etiam in Saxonia superiori, qui parum operae tribuant linguae vernaculae addiscendae, sed potius aliter scribant, aliter ore efferant, et, vt lubeat, etiam detorqueant vocabula.

§. III.

Quam igitur vel inde a trecentis annisⁱ⁾ viri docti habuerunt iam, et retinuerunt in libris scribendis, siue sit in vniuersum selecta ex omnibus Germaniae totius dialectis, siue exprimat eam potissimum, qua hodieque Saxones superiores vtuntur, linguam germanicam, rudem antea et parum cultam, nunc vero magis politam et ad elegantiam conformatam, eam dicimus, praeter caeteros, etiam philosophorum studiis ad illum dignitatis gradum ascendisse. In quaestione igitur disceptanda, quid et quantum philosophis in tali causa recte tribui possit, ne iniqui videamur erga alios, ratio est etiam habenda caeterorum, qui in hoc negotio cum fructu sunt versati. Sunt enim multorum variae in lingua aliqua perficienda partes. Indiget illa quam primum opera Grammaticorum, qui inquirant in ipsius naturam atque indolem, ac deinde leges eius primas, ab vsu vulgari constitutas colligant, easque vt certas, tanquam fundamenta ponant, quo nitatur omnis in elaboranda et exornanda illa, hominum doctorum opera. Neque enim licet ingenio alicuius linguae viam adferre, vt voluit fieri in germanica auctor libelli aliquoties iam laudati.^{k)} Quodsi enim est huius natua ratio paullo grauior et difficilior, ita quidem, vt, si eam comparare velis cum aliis, parum illa quidem, pro natura sua accedat ad facilitatem et leuitatem illam, quae aliis, vt Franco-gallicae, inesse videtur,^{l)} cogitandum est, non esse vniam linguarum faciem,

i) Inde a temporibus Lutheri. cf. *Adelung grammatisch kritisches Wörterbuch. Vorrede zu dessen erstem Theil. §. 4 ff.*
k) de la litterature all. p. 37. Vehementer ibi accusat, inter alia linguae germanicae vitia, modum infinitum in *en*, qui scilicet auribus delicatulis parum placere possit. Mauult igitur dici pro *geben, haben, gebena, habena*.
l) Concedi hoc potest, falso honore linguae patriae, vt fecit *Ierusalemius* in epistola *sur la litterature* all. p. 23. Etenim, quaeritur adhuc, vtrum haec ipsius indoles vitii loco habenda sit, an appellari potius debeat innata quaedam virtus. Ardua est disputatio de ingenii linguarum inter se comparandis,
B
quae



faciem, nec statim deterius esse, quod diuersum sit. Illud vero certissimum est, non esse miscenda inter se, et cum aliis commutanda, quae separatim ac proprie linguae alicuius ingenium confluunt. Quare cauent Grammatici legibus stabiliendis, ne poetarum atque oratorum industria, quae insignis est in locupletanda, laeuanda, adornanda, et numeris aptanda lingua, iusto longius progrediatur, neu ipsi, effrenata vsu licentia, fundamentum destruant, et soluant vincula, quibus connexae sunt singulae orationis partes. Atque illas quidem, quae sunt quasi primae in limanda lingua partes, quas sibi seruarunt Grammatici, lubenter illis concedimus, ne vel cupidi videamur erga philosophos, vel iniqui erga alios linguae vernaculae restitutores et cultores. In his^{u)} insignis profecto est et digna, cui Germania debitas persoluat gratias, diligentia *Adelungii*. Etenim vir celeberrimus, quae est sapientiorum legislatorum virtus summa, abditos recessus linguae nostrae vernaculae penitus perferutatus, praeceptis simul addere solet rationem, quae vel in hac causa inest in conuenientia partium singularum cum ingenio totius linguae sibi proprio. Sic enim, quod vulgo fieri solet, vt tanquam onus incumbant omnibus praecepta Grammaticorum, parum molestiae afferunt illae leges oratoribus atque poetis quippe quae simul peculiarem virtutem atque indolem linguae insignire student, illisque ansam praebent, sibi comparandi notitiam interiorum ipsius partium, et rationum, quae inter easdem interfint. Hac autem profecto carere non possunt, quorum omne studium in eo cernitur, vt vbertatem, subtilitatem et elegantiam caeteris linguae virtutibus addant. Neque vero etiam in hac causa ingrati sumus erga nostrates. Concedamus igitur, necesse est, fuisse, et adhuc esse, multorum poetarum pariter atque oratorum, in locupletanda et polienda lingua vernacula, insignia merita. Iam vero, quoniam sua cuique vindicanda esse diximus, licebit etiam philosophos in hac causa commemorare.

Apparet autem vel e *consilio* omnis philosophiae tradendae, posse doctores ipsius sane permultum asserre ad linguam aliquam ditio-
dantio-

quae fere tota ad sensum redit, et aurium iudicio nititur. v. MORITZ *Versuch einer deutschen Prosodie* S. 7 ff.

^{u)} Grammaticos nostros recensuit Reichard in *der Geschichte der deutschen Sprachkunst*, quem continuauit Rüdiger im neuesten *Zweck der Sprachkunde*, St. 4.



dantioremque reddendam. Illi enim, quorum omne studium incipit a notionibus rerum et verborum recte constituendis, hac ipsa opera inopiae alicuius linguae egregie subuenire possunt, adhibenda diligentia, ut exquirant verba rebus notatis ex usu loquendi optime convenientia, addant superioribus vocabula recens excogitata, notiones verborum rectius distinguant, finibus suis circumscribant, et in vniuersum vario modo ita tractent, ut oratoris et scriptoris subtilitas atque elegantia in nulla alia re versari debeat, nisi in illo, ut dilectu habito recte vtantur iis, quae a philosophis veluti congesta et praeparata sunt. Itaque iure de se CICERO praedicat, hortaturus filium, ut suos de philosophia libros quoque studiose legat: *orationem latinam profecto legendis nostris efficias pleniorum*, de Offic. I, 1. de merito eodem apud ciues suos vniuerso glorietur: *magnum attulimus adiumentum hominibus nostris, ut aliquantum se arbitrentur adeptos, ad dicendum; cumque hic ei labor probro daretur, strenue se defendit in academicis quaestionibus I, 6. 7. Commune omnium ferre est artium, ut suis verbis, non publicis vtantur. Aut enim noua sunt rerum nouarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda. Deinde versatur argumentum insigne philosophiae in vltimis principis omnis cognitionis humanae quaerendis et constituendis. Quare illa complectitur caeteras disciplinas omnes. Iam vero quisque hoc videt, indigere philosophos in hoc conatu suscipiendo, copia vocabulorum, accuratissime definitorum, satis magna, quam, si lingua aliqua non continet, alia congerant, et ab exteris petant, alia excogitent, vel compositione effingant, necesse erit, ut habeant, quibus expriment notionem rerum, a sensibus plane remotas. Nam, cum penes vulgus sit ius et norma loquendi, hoc autem modo ea, quae in sensu cadunt, animaduertat, maxima philosophis imponitur necessitas, noua reperiendi verba, quibus cogitatione recisa sensusque superantia designent. Tandem esse debet *diccionis generis philosophicum* breue, perspicuum, proprium ac definitum. Quibus virtutibus necessario sibi comparandis coguntur philosophi, ingenium eius linguae, qua scribant et disserunt, exercere, eamque aptare suae vtilitati, ne ambigua, neque obscura sit orationis vitio, quae verbis subest, sententia, potius clare et simpliciter sermo profluat, et singula verba contextae orationis optime inter se cohaereant. Neque igitur non potest fieri, ut ea lingua, qua scribunt et disserunt philosophi, quod a templis graecae et latinae certissime nobis persuadent, exinde insignem vtilitatem capiat.*



Docent enim, quas restant monumenta scriptorum, qui maxime aetatis Platonis et Ciceronis sunt, eloquentiam in utroque populo, tum demum summum illud fastigium escendisse, quo regit voluntatem vniuersae multitudinis, eamque quasi vno ore ad amplectendum oratoris consilium compellit, cum philosophi primum linguam patriam ad exprimendas notiones intellectus, et sensus animi significandos rectius conformassent. Ostendendum igitur erit, haec philosophorum studia inter nostrates etiam conspicua facta esse, iisque linguam germanicam ad eam perfectionem, quam nunc habeat, adductam esse. In quo argumento cum omnia redeant ad modum tractandi et proponendi philosophiam, primo quidem apparet, non a communi vtilitate alienam fuisse operam philosophorum nostrorum, in tradendis germanice disciplinis et philosophia ore scriptisque sermone nostro propaganda. Accedit, quod philosophi germanici potissimum cum doctrina solidiori artes liberales arctius coniunxerunt, vnde linguam vernaculam haud parum vtilitatis cepisse dicimus. Sed ab initio ordiendum est.

§. IV.

Prope nefas olim habuisse videntur nostrates lingua patria tractare et proponere doctrinas philosophicas, quippe vsi fere vni genere loquendi peregrino, nempe latino. Quid et quantum detrimenti inde ceperit omnis doctrina, vix dici potest. Neque enim solum ille modus scribendi et disserendi non nisi externa lingua, parum aptus est vertendo in communem aliorum vsum sententias hominum doctorum, quo ab aliis etiam cognosci possint, et variorum varia experiantur iudicia; sed factum est etiam, vt latini sermonis expertes contemnerent doctrinam, quae absconderetur vocum extrinsecus assumptarum tenebris et in recessu sermonis peregrini latere mallet, quam patrio cultu ornata, in omnium conspectum prodire. Inde etiam non potuit fieri, quin lingua germanica, qua utebantur tum temporis fere non nisi homines de plebe,^{m)} veluti abditus in inteflinis montium thesaurus multa rubigine inficeretur. Quamdiu enim homi-

^{m)} Vrget hoc saepissime *Fridericus II.* v. c. *Histoire de mon tems* Tom. I. p. 98. *la langue nationale, qui ne restant, que dans la bouche du peuple, ne pouvoit acquerir ce ton de politesse, qu'elle ne gagne, que dans la bonne compagnie.*

homines docti, in his maxime philosophiⁿ⁾ minoris illam aestimabant, et in aulis principum, pariter atque inter homines liberaliter educatos, externae opes diuitiis patriis anteponerentur, plane defuerunt, qui in exornanda et perpoliendâ illa laborarent, quippe cum omnibus perfursum esset, se operae pretium non esse facturos. *Thomasius* quidem vel propterea multorum conuicia in se contulit, quod primus lingua vernacula, id, quod aequè barbaram atque inauditum videbatur hominibus sui temporis, lectiones academicas instituit. Culpa maxima fuit cōiecta in latini sermonis ignorationem, cuius non fuit plane rudis ille, qui toties in conuentu hominum litteratorum disputauit, quique libros plures latinis litteris mandauit, quamuis hoc sit dandum, eum latinitati selectae atque urbanitati eleganti non studuisse. In tanta huius seculi iniuria plurimum operae admodum ingratae suscepisse videbantur, si qui causam linguae patriae defensuri, eam non adeo dignam esse publico hominum doctorum contentu, iudicarent. Iure igitur celebranda esset memoria *Cel. Wolfii*, etiamsi in nulla alia re versata esset ipsius industria, nisi in eo, vt oculos popularium suorum conuerteret in linguam patriam, ostenderetque, eas inesse in illa diuitias, vt Germani nec praedari exteras regiones, nec vndique stipem colligere debeant ad rem suam amplificandam. Etenim cum primum viderunt nostrates, disciplinas philosophiae omnes aequè doctè ac subtiliter lingua vernacula exprimi posse, tum demum obstupescit omnes et admirati sunt incognitas adhuc sibi opes patrias. Quamuis enim, quae virtutes iam nostra aetate vel a philosophis exigi solent, parum dilectus et elegantiae habere videtur dictionis genus, quod occurrit in philosophia ipsius germanica, tamen nemo certe illi denegabit laudem simplicitatis, perspicuitatis et proprietatis in dicendo.^{o)} Ab his autem initium erat faciendum in colenda lingua vernacula, quae antequam tractari poterat manu artificis, et poetarum atque oratorum studiis poliri, indigebat primum opera eorum, qui ipsius certam aliquam

B 3

formam

n) *Leibnitzius* autem in praefat. ad *Marii Nizolii* antibarbarum philosophicum *Francos. 1674* ita dicit: *Lingua germanica non a philosophia quidem, a barbara tamen philosophia abhorruit. Cum vero barbara philosophandi ratio serius sit pulsa, mirum etiam non est, taratigradam in philosophando nostram linguam fuisse.*

o) Concesserunt Viro Celeberrimo hanc laudem *Adelung v. liber d. d. Stryl. Th. II. S. 96.* et *Ierusalemius v. lettre sur la litt. all. p. 10 sq.*



formam constituerent. Cuius rei perficiendae cum initium fecisset *Wolffius*, secuti sunt illum ab hoc tempore, iuncti eximio studio, permulti, qui exquirendis vocabulis iis, quae ad notiones varias, in primis generales exprimendas idonea essent, id demum effecerunt, ut linguae germanicae ea appareret in vocibus vbertas, quae vix adhuc indigeret suppeditis, ab exterarum gentium liberalitate petendis.

Perperam enim fieri solet in vulgari consuetudine maxime ab hominibus indoctis, qui tamen speciem aliquam eruditionis prae se ferre cupiunt, ut germanice vel scribentes, vel loquentes multa vocabula peregrina sermoni admisceant, eaque ad leges linguae vernaculae ita flectant, satusque barbore detorqueant, ut ipsorum oratio meram sapiat peregrinam stribliginem. Quod vitium in copia vocabulorum satis ampla, quibus instructa est, vel ex sententia aduerfariorum ipsius, lingua germanica, profecto non nisi ab inscitia, partium studio et praepudicatis opinionibus venit.^{p)} Habet enim lingua germanica, in paucis aliis hanc insignem virtutem, ut ex iis, quae iam in illa insunt, vocabulis simplicibus, facili opera possit plura vel deducere, vel compositione effingere.^{q)} Ut exemplis quibusdam utamur, inest haec facilitas formandi ex vno verbo simplicibus, et quae fere innumerae sunt, eam tamen vim habent, ut longe diuersae inde nascantur notiones; in terminationibus adiectiuorum variis, vnde venit epithetorum siue appositorum tanta copia, quae vix pateretur, linguam graecam nostrae palmam praeripere,^{r)} — atque alia generis eiusdem. Quae insignis vis linguae germanicae, ut aliae omnes virtutes ipsius, fere penitus latuere, quamdiu homines docti non nisi latine differere et latine scribere solebant. Philosophi primum aperuerunt hunc fontem vbertatis praecipuum, et recondita in ipso sinu patriae linguae vocabula exinde promserunt, eaque in publicum emiserunt. In his autem

p) Quomodo vocabula peregrina, quibus parum conuenienter vtuntur homines semidocti, germanice exprimenda sint, docet exemplis satis multis *HARNATZ* in der *Anweisung zur deutschen Sprache* p. 36 sq.

q) vid. *Adelung über d. d. Styl. Th. I. S. 115 ff.* quod caput continet simul praecipua in formandis nouis vocabulis obseruanda.

r) Egrege differuit de hoc argumento *RAMLERS* in der *Einl. zu den schönen Wissenschaften Th. 4. S. 415 ff.* quod totum caput agit von den *Endsylben der deutschen Beywörter.*

tem primas partes tenet Cel. *Wolfius*. Qui cum ad edendam germanice philosophiam animum applicasset, utique sensit saepissime, deesse sibi vocabula, quibus id exprimat, cuius notionem in animo haberet.) Quare non potuit non vel noua excogitare, vel iis, quae iam aderant, alio significato uti. Fecit utrumque, ut quisque intelligere potest vel ex indice, quem ad explicandas voces artificiosas a se inuentas, addita significatione latina, tum temporis vltatori, Logicae et Metaphysicae suae subiecit. In his vocabulis quaedam ab eo inde tempore tantam consecuta sunt auctoritatem, ut eorum vsus adhuc frequens inter nostrates reperitur, v. c. *Einfluß*, *Kraft*, *Begriff*, *anschauend* etc. aliorum vsus alius constitutus est v. c. *Verhalten* pro *Verhältniß*, *Tieffinn* pro *Scharffinn*. (acumen ingenii.) Quae enim eximia fuit opera viri celeberrimi et amplificatoris doctrinae certioris germanicae, ea profecto plane indigni fuissent populares ipsius, nisi, quod vnus viri studio effici non potuit, in eo omnes diligentius et accuratius laborare voluissent. Atque illud quidem egregio modo factum esse, satis luculenter demonstrari posset scribenda historia recentioris philosophiae perampla. Quae vero non est huius loci. Sufficiat igitur meminisse philosophorum, qui *Wolfium* in hoc genere eruditionis secuti sunt, inter quos eminet *Gottschedius*. Is enim caeteris exemplum dedit coniungendi cum ipsa philosophia purioris sermonis germanici. Qui illum sunt secuti, *Baumgartenius*, *Meierus*, *Crusius*, et nostra aetate adhuc *Platnerus*, *Federus*, *Kantius* alique multi, quamuis non ex instituto id agerent, ut auerent et amplificarent linguam germanicam, praebent tamen lectoribus exempla, quae probent, pro suo quemque consilio, tempore, loco et scribendi genere ad exaggrandas linguae patriae opes aliquid attulisse.)

Sed restat adhuc maxima philosophorum culpa, copia vocabulorum, quae originis peregrinae sunt, et deformem reddunt linguam vernaculam? In hac causa vero tantum abest, ut vitio vertendam esse philosophis illam licentiam in adhibendis vocibus peregrinis putemus, ut et necessitas ipsos excuset, et in eo ipso argumentum nobis inesse videatur, nequaquam

s) vergl. Vorrede zum ersten Theil des grammatisch-kritischen Wörterbuchs §. 14. in dessen Geschichte der deutschen Sprache, S. 89.

f) Fuerunt etiam, qui praeter necessitatem hoc facerent. Reprehendit saepissime *Adelungius* Abrium, qui in libello vom *Verdienst* vsus sit vocabulis eius modi temere factis v. c. *Empfund*, v. *über den deutschen Styl*, Th. I, S. 121. Th. II, S. 86.



quam nimium sedulam fuisse curam ipsorum, in extorquendis notis vocabulis, nec ipsas iusto tenaciores esse linguae patriae. Quamvis enim vehementer cauendum est, ne in diiudicandis iis vocabulis, quae ab aliis gentibus ad nos transferunt, nimium tribuamus effrenatae quorundam audaciae in adhibendis eiusmodi vocibus, quod vitium supra iam reprehendimus; tamen philosophis praeter caeteros, in hac causa aliquid concedendum esse videtur. Longe alia enim est opera ipsorum in recipiendis ac retinendis vocabulis peregrinae originis, quam illa vitiositas dicendi, de qua supra diximus. Illi enim, cum diligenter examinarent linguam vernaculam, saepe tamen desiderarunt voces, quibus bene et conuenienter exprimerent notionem, quae vel ob subtilitatem, vel ob nouitatem indigeret verbo proprio. Tum demum signum eius notionis ab exteris gentibus petere maluerunt, quam vel improprie, vel per ambages verborum hanc patrio sermone eloqui, quo non cauere potuissent, ne interciderent verae ac propriae rerum notiones. Eius generis sunt igitur maxime plerique qui vocantur termini technici, quos saepissime vno verbo eloqui non possis, *v. c. System; Axiom.* Voluerunt quidem Wolfius et alii, vel eiusmodi vocabula, quae vnice ac proprie ad scholas pertinent, germanice reddere. Sed exinde profectae sunt interdum appellationes, quae definitiones potius aut saltem descriptiones essent appellandae, quam merae notionum signa *v. c. ein durch sich selbst bestehendes Ding pro Substantz, vid. Wolfii Metaph. ind. et Gottsched. Log. C. 5. §. 306.* Interdum satis breuiter quidem exprimi possunt, neque vero ita, vt plane conueniant notioni, quae lubesse debeat vocabulo, *v. c. Hauptding, Nebending pro Subiect, Praedicat.* Caeterum monuit iam *Adelungius* l. c. p. 120. ferre necesse esse, vt plerique termini technici, in linguam germanicam translati, a lectoribus iterum latine vertantur, si velint intelligere, quis sit istorum significatus. Neque vero ea obscuritate laborant, qui petiti sunt vel e Graecia vetere, vel a Romanis. In quibus non admodum pauci tantam apud nos consecuti sunt auctoritatem, vt iisdem iam vtamur tanquam nostris, nec tantum scribamus, eloquamur et flectamus illos germanice, sed etiam componendis pluribus, noua inde effingamus vocabula *v. c. Nervensystem.* Quare non dubitauerim contendere, bene auctas esse diuitias patrias

D Pluribus hoc demonstrauit *Adelungius über ausländische Wörter und Formen, v. über d. d. Styl. Th. I. S. 106 ff.*

patrias hęc opibus externis, maxime in eiusmodi vocibus, quarum vsus iam est quotidianus, saepe nullo cogitante, vnde nobis contigerint illae formulae dicendi. Etenim in frequentiori vsu vocabuli peregrini haud raro argumentum inest, non habere Germanos, quo aeque breuiter et compositè expriment rem notatam.

Sed, quae hactenus de philosophorum locupletandae linguae patriae studiis diximus, ea proprie quidem, non nisi diligenter examinandis omnibus ac singulis vocabulis ipsius plene probari possunt. Quae ratio cum huius loci non esse possit, prouocandum nobis est ad locupletissimos eius rei testes nempe indices recentissimos verborum, ordine litterarum collectos, e quibus quisque facile perspiciet, haud exiguam esse copiam vocabulorum, quae nostrorum temporum studio ad superiorem multitudinem accesserit, reperiri autem illam vel maxime in eiusmodi notionibus et sententiis exprimendis, quae primum ac proprie in disciplinis philosophicis occurrant, ita, vt statim appareat, quinam eius vbertatis in dicendo potissimum auctores fuerint.

§. V.

Sed fuerunt, qui vehementer accusarent hanc ipsam affluentiam linguae nostrae vernaculae. In his Fridericus II. Dicit enim: *le principal défaut de la langue allemande est d'être trop verbeuse, il faut la resserrer, v. Histoire de mon temps Tom. I. p. 98.* Quam sententiam repetit idem saepius in libello *de la litt. all.* Quamuis igitur a philosophis hanc limam nolit expectare, quorum opera scilicet longe alio spectet, nos tamen putamus, ipsorum studiis in hac causa sane permultum tribuendum esse. Quodsi enim supra diximus, illos tractandis et proponendis germanice disciplinis suis, non parum attulisse ad conciliandam linguae nostrae maiorem in vocabulis vbertatem, hac non intelligimus eiusmodi indolem, qua abundet lingua nostra vocabulis vnam eandemque rem significantibus, ita, vt penes omnes arbitrium sit, vtendi vel hoc, vel illo, quomocumque demum velint, quam rectius quidem dixeris verborum loquacitatem. Sed, quae vera est vbertas linguae alicuius, ea con-

tinet

1) v. c. p. 18. *elle a besoin d'être limée et rabottée, elle a besoin d'être maniée par des mains habiles.*

2) l. c. p. 35. *nous ne devons pas l'attendre des philosophes; leur partage est de déraciner des erreurs, et de découvrir des vérités nouvelles.*



tinet simul in notionibus verborum certo definitis regulas ac praecepta, quae docent, in quibusnam causis, quo loco, consilio et ordine uti debeas hisce vocabulis, si velis ita vel loqui, vel scribere, ut omnis oratio ingenio linguae consentanea sit. Apparet autem vel e consilio et ratione tractandi philosophiam, in qua omnia redeunt ad enucleandas, proponendas et distinguendas rerum notiones, philosophos non posse uti vocabulis, nisi quorum vis ac potestas certo sit finita. Quare incipit omnis institutio philosophica a constituendis verborum notionibus, quo obscuritas et ambiguitas, quae in significatione vocabulorum varia inesse possit, prorsus removeatur. Certe sequuntur et sequi debent philosophi in ea re semper usum loquendi, neque vero rationibus, siue ex analogia linguae, seu aliunde petitis, arguari. Iam vero usus loquendi non est is, quem omnes in vulgari consuetudine cum aliis hominibus possint addiscere. In ea enim saepissime vocabula multa promiscue adhibentur, quorum longe diuersa est notio, si spectas auctoritatem non plurimorum hominum, sed optimorum scriptorum. Quare necesse est, ut eruant atque diligenter perpendant verborum notiones veras is, quorum interest proprie, definite et perspicue, vel loqui, vel scribere. Quod fecere philosophi nostri non tantum elaborandis germanice atque edendis libris tam multis eius argumenti, quod ex omnibus philosophiae partibus petitum esset, sed tradenda illa etiam germanice in lectionibus academicis. Quae profecto non fuit leuioris momenti. Etenim, cum superuacaneam plerique esse putent operam, adire grammaticos, et denuo addiscere praecepta linguae vernaculae purioris et elegantioris, datur illis occasio legendis, et audiendis quaestionibus philosophicis cognoscendi non tantum, quid in quaui re verum sit, sed insuper etiam discendi, quomodo ea, quae subtiliter excogitata sunt, lingua vernacula definite et perspicue exprimi possint, ut substituendo singulis vocabulis non nisi eas notiones, quae illis vere insunt, et ex usu loquendi optime conueniant, ab omnibus linguae vernaculae peritis intelligantur. Philosophos autem nostros in hac causa non negligenter esse versatos, eius sententiae stabilendae testes sunt plerique libri lingua germanica de philosophia bene scripti, *) quibus

*) Laudauit *Adelungius* in primis dictionem puram, perspicuam et pressam, quam habeant libri scripti *Gellerti*, *Ierusalemii*, *Garuii*, *Platneri*, *Eberhardi*, *Kantii*. v. *tiber d. d. Styl*, *Th. II. S. 86.*

bus adnumerandae etiam sunt potiores philosophorum veterum interpreta-
 tiones. Quodsi enim est res maximi momenti, vt, qui exemplum scri-
 ptionis purae et elegantis praebere velint, si singula quaeque verba exami-
 ni submittant, atque accuratissime illa perpendant, in eo potissimum ela-
 borandum est iis, qui vertendis in linguam vernaculam libris philosofo-
 rum Graecorum et Romanorum, ingenium summum pariter atque indo-
 lem linguae germanicae exercere student. Qui igitur in hoc conatu cum
 fructu versari velint, illos nec fugere debent leuissima vocabulorum dis-
 crimina, vt, dilectu vocabulorum accurate instituendo, illud potissi-
 mum et vnice retineant, quod sententiae auctoris plene exprimendae
 optime conuenit. Quantum vtilitatis hae exercitationes afferant linguae
 vernaculae, bene vidit etiam auctor libelli *de la litterat. all.* quare valde
 commendauit easdem nostratibus. Sed habemus etiam in plerisque vete-
 rum auctorum interpretibus, non admodum probabilibus, viros, qui lin-
 guae et rei litteratae inter Germanos, ab hac parte egregie subuenerunt.
 Quae igitur a viris celeberrimis *Garnio, Gedickio, Heinzio* et aliis qui-
 busdam, in honorem linguae patriae, condita sunt monumenta elegan-
 tioris doctrinae, cum subtilitate philosophica coniungendae, ea licebit
 argumenti loco ponere, non frustra laborasse philosophorum recentio-
 rum industriam, in colenda lingua nostra vernacula. Etenim scribendo
 et disserendo germanice de philosophia, excitantur magis amorem lin-
 guae patriae, eiusque studium commendarunt omnibus iis, qui in sen-
 tentiam adduci potuerant, hominem doctum non nisi Graeca et Latina
 decere, germanica posse negligi, quippe indigna, quae paullo accuratius
 cognoscantur ab hominibus eruditis. Ostenderunt deinde, quam mul-
 tae insint in lingua vernacula virtutes, in quibus elaborandis et perfi-
 ciendis vel maxime versari debeat hominum doctorum industria, et, quis
 hunc in finem praeceptorum disserendi et scribendi, quae in vniuersum
 dari solent a philosophis in Logica, peculiaris sit vsus ad colendam lin-
 guam vernaculam, demonstrarunt. Ipsi vero eius rei conficiendae et-
 iam exempla dederunt, iisque simul occasionem praebuere plerisque di-
 scendi, quomodo placita philosophorum etiam lingua vernacula recte
 exprimi debeant. Tandem vero exercuerunt hac ratione ingenium lin-
 guae germanicae, idque accommodarunt dictionis generi philosophico,
 quod in subtilitate finibus suis inclusum, in breuitate perspicuum esse debet.
 Sane possint his plura addi, quae proprie et vnice ad ingenium linguae
 germa-



germanicae attineant. Nam, si verum est, quod MORITZIVS contendit, *) esse illud *magis aptum ad significandas notiones intellectus, quam ad prodendos animi sensus*, quod equidem facile concesserim, datur hac sententia proponenda locus quaestioni vberius disceptandae, quid et quantum philosophi potissimum, nam ad illos hoc vel maxime pertinere videtur, vel ad conciliandam linguae germanicae hanc indolem, vel magis colendam illam, hucusque essecerint, quidue in hac causa adhuc effici possit. Iam vero, utrum, et quatenus tales quaestiones subtiliores a consilio nostro vel alienae sint, vel proprius ad illud accedant, de illa re iam non quaerimus. Neque enim licet, per ingenii, temporis ac loci rationem, et exiguitatem plura his addere. Restant autem alia, eaque non plane omittenda, quae ad causam nostram propius pertinere videntur. In quibus proponendis et ad limam rationis reuocandis versabitur adhuc opera nostra.

*) v. *Versuch einer deutschen Prosodie*, S. 6.



ULB Halle

3

003 061 345




s. b.

VD 18







DE
LINGVA GERMANICA
RECENTIORVM PHILOSOPHIAM TRACTANDI
STVDIIS HAVD PARVM CVLTA

DISSERTATIO HISTORICO PHILOSOPHICA

PARS PRIOR

QVAM

PRAESIDE

IOANNE MATTHIA SCHROECKH

HISTOR. PROF. P. O. BIBL. ACADEM. DIRECTORE INSTITVTI

REG. HIST. GOETTING. MEMBR. ORD. SOC. LAT.

MARCH. BAD. SODAL. HONOR.

XXVI. JUNII
A. D. ~~XV. MAII~~ A. R. S. MDCCCLXXXIX

DEFENDIT

A V C T O R

IOANNES GEORGIVS CAROLVS

K L O T Z S C H

AA. LL. M.

WITTEBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

Dürri

1789
6a
6-

11

